

46

CHARITATIVI PONTI-  
FICIORUM  
IN POLONIA COLLOQVII

Consilia Secretiora,

eximiè dispalescentia

*Tum ex Publicatione Invitationis Archiepisco-  
palis qua Vilnae facta est:*

Tum ex Informatione De Negotio  
Reductionis Hæreticorum ad Ec-  
clesiam Romanam per Re-  
gnum Poloniæ,

Delegatis qui colloquij ejus inti-  
mandi causam Romam missi,  
sunt, traditâ,  
(&c.)

CHARITATIVI PONTI-  
FICIORUM  
IN BOLONIA COLLOQUII

Commissis Secretoris

extinctis

EXXV 503

XIV 327

Tomus I. In quo continetur  
Acta et Rescripta  
Sanctae Romanae Ecclesiae  
in hac parte

Delegata qui colloqui  
inter se habuerunt  
anno 1623  
(1623)

Publicatio Invitationis Archie-  
piscopalis ad Thoruniense Collo-  
quium Vilnæ facta

Per Episcopi Vilnensis Præfationem  
uti Subjunctim hic habet.

ABRAHAMVS VVOYNA,  
DEI & Apostolicæ Sedis Gratia  
Episcopus Vilnensis.



Overint Universi, præsentis li-  
teras nostras inspecturi, quo-  
modo Nos Satis faciendo De-  
creto, Synodis Provincialis, in  
anno proximè præterito, die 12. Mensis  
Novemb. ab Illustrissimis & Reverendissi-  
mis Episcopis Regni & Magni Duc. Li-  
thuanix, atq; adeo ab omnibus Pælatis &  
Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, in  
& Contra omnes in Religione Dissidentes  
emanato, præsentis literas nostras per Dia-  
cesim nostram direximus, & ad quamlibet  
Ecclesiam Parochialem & Conventualem

affigendo, mandavimus ut eò citius ad Om-  
nium & Singulorum Notitiam perveni-  
ant, videlicet, ut omnes in Religione Dissi-  
dentes, cujuscunque Professionis, sive per  
se, sive per nuntios suos, in literis & S. Scri-  
pturâ bene versatos, freti literis Salvi Con-  
ductus, Thorunium in An. 1644. pro die  
10. Octobr. conveniant, ad docendum &  
probandum, quomodo illi animas diver-  
sarum Notionum & Regnorum, pretioso  
Sanguine Christi redemptas falsis suis ac  
perverfis dogmatibus à verâ Sanctâ Ca-  
tholicâ Romanâ Ecclesiâ abducant, & ad  
Barathrum detrudant: ad docendum &  
firmandum in præmissis, si quam se habere  
prætendunt veritatē. Cujus quidem De-  
creti, ut in se existat, is est, qui sequitur  
tenor.

*MATTHIAS LVBENSKI.*

*Ad mandatum suæ Illustrissimæ & Reve-  
rendissimæ Celsitudinis*

*ALBERTVS ZABINSKI Decanus & Officia-  
lis General. Vilm.*

Manifestum Evangelicorum

Vilnensium ad

Publicationem Invitationis  
præmissæ Repositum.



GO Theophilus Rybakowsky,  
nomine Celsissimorum Illustrissi-  
morum & Dna. Evangelicorum  
in communi, in Libros Publicos  
hoc Manifestum insero: Nempe  
die 23. Martij præsentis anni  
1644. ad Portas Templi Eu-  
angelici Vilnensis juxta copiam Epistolæ sub Nomine  
Illustrissimorum & Dnn. Archiepiscopi Gnesnensis, Pri-  
matis Regni & aliorum omnium Dnn. Senatorum Spi-  
ritualium Regni & M. D. Lithuania, ad dissidentes  
in Religione Christianâ, in negotio Conciliandæ Reli-  
gionum Dissensionis typis expressæ, appositum fuisse E-  
dictum vel Mandatum quoddam, sub Titulo, Illustriss.  
& Reverendiss. Dn. Abrahami Woyna, Episcopi  
Vilnensis, cum Sigillo Dni. Alberti Zabinski, Offi-  
cialis Vilnensis: in quo Edicto, cum non solum sit  
magna dissonantia à prædictâ Dnn. Spiritualium E-  
pistolâ, sed & aculeata verba, & Imperia homini-  
bus in Libertate natis non ferenda: Ideo utentes si-

mul & jure communi, & libertatibus Nobilitatis, &  
caventes ne hinc peiores sequela emergant, confu-  
gendo sub Tutelam Juris Publici, & Confœderatio-  
nem Publicarum, sacro sanctis Juramentis Regum,  
Dominorum Nostrorum & Majorum Nostrorum,  
sancitarum; Et imprimis sub tutelam Juramenti Fe-  
liciter Regnantis S. R. Majestatis declaramus, Nos  
neque potestatem Reverendissimi Dni. Episcopi, tam  
in Spiritualibus, quàm in temporalibus, excepto con-  
sueto honore & reverentia, quæ ipsi ex Reipublicæ  
instituto tanquam magno Senatori competit, in nos  
agnoscere; neque tempore suo, ibi, ubi hujus rei lo-  
cus est, coram S. M. Regiâ, Domino nostro Clemen-  
tissimo, & Statibus Reipub. hanc offensam Nos Silen-  
tio Præterituros esse neque ad talem Præjudiciosam  
& Condemnatoriam Provocationem saluo honore &  
juribus nostris sistere Nos posse.

Si tamen Nobiscum, ut cum Liberis Homini-  
bus ageretur, conferremus eâ de re cum illis Fratribus  
nostris in Regno & M. D. Lithuania.

Quæ Manifesta (Protestatio) nostra, & in Acta  
Publicas Districtus hujus recopiatur, rogo, &c.

Infor-

Informatio de Nègotio  
Reductionis Hæreticorum ad  
Ecclesiam Romanam, per Re-  
gnum Poloniæ, &c.

Delegatis Tradita, qui Romam missi fuerê ad Pontificem, &c.



Scium Nobis apertum est magnum & evidens, & amplissima præ manibus occasio, quâ exoptatissima & toties quæsita Religionis Pax & Unitas, huic inclito Poloniæ Regno, & in eo Ecclesiæ DEI, divino adspirante Numine, postliminio restituantur.

Seculum est, à quo Hæresis limitanearum primum Provinciarum Pomœria prætergressa, mox majori impetu per ista Regni viscera diffusa, Sedem adeò obstinatè fixit, ut nullis hæctenus, quanquam sæpè tentatis medijs dimoveri potuerit.

Quaticbatur interea Regnum, Unitæque Provinciæ magnis sæpè motibus, non sine immenso discrimine: cui ut irent obviam, tum Serenissimi & Potentissimi Reges tum majores & Præcessores nostri Episcopi, tum tot alij viri, præcipuæ in hoc Regno Authoritatis, nihil omittebant, quo dissidium Religionis tot malorum fomitem, dextrè com-  
pone-

ponerent, & exulantem ab Ecclesijs Domibusque  
Pacem, Consilio manuque revocarent.

Sed juratus ille Pacis & Concordiæ hostis Sa-  
tan, novos semper obices prætendebat: & exqui-  
sitis machinationibus arcebat Consilia Pacis, no-  
visque semper fomentis Civile Religionis Bellum  
alebant.

Interim incessanter gemebant Pij, & à Deo Pa-  
cis & Unitatis illam die nocteque Pacem postula-  
bant, ex quâ dependere intelligebant Regni Patri-  
æque felicitatem; infinitarum animarum Salutem,  
ingens Catholicæ Religionis incrementum.

Neque passa divina Bonitas cadere incassum tot  
vota & sincerissima desideria Principum, Antisti-  
tum, Procerum & Populorum, Manifestis enim &  
evidentibus argumentis assequimur, Deum opti-  
mum illuminare jam velle Seculum nostrum, in il-  
luminacione vultus sui super nos; certamque Spem  
concipimus, fieri tandem posse, ut in hoc regno  
redintegretur Religio hæctenus divulsa, redeantque  
tot populi à varietate Opinionum ad eandem Do-  
ctrinæ normam; à dissensionibus ad uniùs fidei  
Consensum; à tot cætibus ad eandem Ecclesiæ  
Unitatem.

*Argumenta quibus in eam Spem  
erigimur præcipua sunt,*

I. Nova,



I. Novā, & aliās nunquam observata Propensio Adversariorum ad Pacem Consensumque cum Ecclesiā Romanā quæ sanè est mutatio Dextræ Ecclesi: dum qui inter illos Prudentissimi sunt, non eam amant, sed improbant, imò nauseant factam à suis Majoribus Recessionem, & vel inter se quærunt, vel à Nobis expectant Remedium.

Itaque Nos non tantùm taciti admirari volumus Opus DEI, sed ambabus (ut ajunt) manibus occasionem prensamus & Divinæ gratiæ ductum sequentes in ministerium divinissimi operis promtè & libenter imus.

2. Altissima Pax, quā in hoc Regno, immenso Dei beneficio, à tot annis fruimur. In hac enim placidissimā temporalis felicitatis maliciā tranquillis animis etiam ij, qui olim tumultuabantur, contemplari & observare potuerunt, foeditatem, horrorem, pericula procellarum Ecclesiasticarum, ex dissidio Religionis natarum.

Neque dubium nobis est, eò collimare Paternam DEI Providentiam, ut ex eo gustu Pacis Politicæ divinemus de ineffabili dulcedine Pacis Ecclesiasticæ alteramque ex alterā quæramus & firmemus.

Nunc, prout nunquam aliās facilis & expeditus mediocrum usus; nunc impulsus vehemens & efficax, à manifestā, nobisque notissimā Regnorum

& Provinciarum ruinam, quam à diffidio Religionis, provectam, Catholici & Acatholici sciunt, profitentur. Iraque detestantur malum, tot malorum fontem, & quaerunt modum, quo aboleatur.

3. Zelus & pietas Serenissimi & Potentissimi Regis Wladislai IV. Domini nostri Clementissimi, qui post tranquillatum undiquaque statum Regni terreni, nihil magis habet cordi, quam ut perfectissime tranquilletur Regnum Christi: ut dicamus olim: Desiderium Cordis ejus tribuisti, & voluntate laborum ejus non fraudasti eum, praevenisti in benedictione Dulcedinis.

Nihil quod in causâ desiderare potuimus, deest huic gloriosissimo Principi: summa Auctoritas; rerum hactenus gestarum immensa Gloria: Sapientia incomparabilis & perspicacissima Providentia: locuples Notitia nostrarum, exterarum Gentium & Populorum, peritia rerum: dexteritas in tractandis mulcendisquè animis mira: Felicitas rara, &, quod in re nostrâ magni momenti, Nostri Amor, etiam inter eos, qui alieni sunt ab Ecclesiâ, cum singulari quadam observantiâ & reverenti metu. Accedit ardentissima ad hoc divinissimum opus suscipiendum promovendumquè voluntas & Zelus singularis: cui si non jungimur, & in

& in societatem laboris conspiramus, rei constitui-  
mur coram Deo & orbe universo.

4. Confratrum nostrorum & Illustrissimorum  
ac Reverendiss. in hoc Regno Episcoporum Con-  
sensus, divinitus inspirata, Pastoralis eximia Sol-  
licitudo pro tot millibus errantium ovicularum,  
sinceraque Cura: ut iterum tandem in hoc Regno  
Ecclesia coalescat, fiatquè unum Ovile, & unus  
Pastor.

5. Nupera conversio quarundam ex illâ Fa-  
ctione eximiarum Personarum, quarum in hoc  
negotio ingens, & perquam commodus erit usus:  
tum propter singularem earum dexteritatem, tum  
propter opinionem doctrinæ & virtutis, inter su-  
os olim, tum propter privatas cum multis, qui ad-  
huc errant, Conjunctiones. Accessit in rem no-  
stram, quòd inter disidentes pauci jam sint, qui  
errorem & hæresin tueri procaciter velint, aut  
possint potentiâ singulari.

Ex his igitur Argumentis & motivis in Spem  
venimus, fieri posse, ut in hoc Regno tandem ex-  
tingvantur Hæreses, omnesque unanimiter con-  
spirent, in eandem Fidei confessionem, Deique  
cultum.

Exinde animum adjecimus ad serias Consulta-  
tiones, quibus modis & medijs res tanta tentanda  
& promovenda videretur.

Ut autem in re, tam arduâ tantique momenti,  
Ordine procederemus, ab ijs initium sumendum  
duximus, quæ hæctenus tam salutaribus Consilijs  
visâ sunt obicem ponere, atque sic progressum o-  
ptatissimum operi substruere.

Certum & exploratum habemus, perseveran-  
tis hæctenus Dissidij præcipuam causam fuisse &  
esse Traductionem Religionis Catholicæ inter  
Dissidentes, & dissonum planèque sinistrum Do-  
ctrinæ Fideique Ecclesiæ intellectum & recipro-  
cam intelligentiam, cum varijs hinc inde jactatis  
Criminationibus, ex quibus profecta odia impla-  
cabilia, aut abhorrentiæ & ad minimum diffiden-  
tiæ & Alienationes animorum, quibus semper vel-  
ut atrâ caligine offundendo rationem magis ma-  
gisque obscurabatur Fulgor, Catholicæ Veritatis.

Hoc igitur primum & præcipuum erat Deli-  
berationis nostræ Argumentum, ut adinvenire-  
mus medium, quo ante omnia malum hoc sopi-  
remus ac penitus extingveremus.

Concionibus, libris, Disputationibus, Privatis  
Allocutionibus, parum hucusq; effectum est. Que-  
dam enim ex his angustum habent fructum; quæ-  
dam etiam incommodum.

Universale & Irrefragabile querebamus Re-  
medi-

medium quo omnes generatim in eandem sanam de Rebus Catholicis Persuasionem, quodammodo cogentur.

Nam nisi toti illi factioni constare incipiat, de integritate & sinceritate nostræ Doctrinæ in Concilio Tridentino comprehensæ, & nisi occurratur figmentis Cavillis, Calumnijs, Criminationibus, in posteris nulla spes est, Universalis, quam sollicitè quærimus, Reconciliationis.

Econtra si manifestam & ab omni caligine depuratam Catholicam Veritatem aspexerint, certè futurum confidimus, ut illâ fulgentissimâ Luce perstringantur, excussoque, Falsitatis ludibrio, sinceræ limpidæque Christi Apostolorum & SS. Patrum Doctrinæ sese dedant.

In hunc igitur Finem communi consensu constituimus & decrevimus, ut post decursum paucularum hebdomadarum, instituat in hoc Regno Utrarumque Partium publica & solennis Convocatio, hinc Catholicorum, hinc Hæreticorum delectis ad hoc negotium aptissimis è toto Regno Theologis.

Nomen illi Congressui dedimus Amicam & Fraternali Collationem. Hoc enim Fraternali nomine colere cogimur eos, qui quamvis à Matre Eccle-

Ecclesiã sese alienaverint, Materni tamen Juris sunt. Et præterea nobis tot vinculis Fraternitatis colligati sunt, sive propter nexum Sanguinis, sive propter Societatem Fœderum. Dignitatum, Officiorum, Consiliorum, Libertatis sub uno Rege, sub unâ lege.

Collationem autem meram diximus, ut etiam ipso nomine omnem speciem Synodalis Auctoritatis amoliremur. Nihil enim ibi decerni aut constitui, nihil innovari volumus.

Mera debet esse Cointelligentia Partium, ulteriori deinceps, tum Nostro, tum alterorum Episcoporum Examini & Censuræ subjecta.

Itaque hæc tria tantùm illi congregati agent,  
1. Utrinque certa pro certis statuent, deinceps, ut immutabiliter pro certis retineantur firmabunt.

2. Ambigua liquidabunt, semotis Calumnijs & Criminationibus, quibus hætenus ferè solis plebs delusa est & seducta, facientque ut ipsi Adversarij recognoscant, & publico testimonio profiteantur quid verè doceant Catholici, quid fingantur docuisse.

3. Veras Controversias (quæ paucissimæ erunt) Scripturarum & primævæ Ecclesiæ testimonijs probabunt seclusã tamen omni rixosã & contentiosã

riosa Disputatione: in eum tantum finem, ut fundamenta nostra ponderentur, & cum fundamentis Adversariorum comparentur; constetque tum illis, tum Orbi Christiano Universo, nec illorum Olim Majores habuisse causam, propter quam tantam ab Ecclesia DEI fecerint secessionem, nec ipsos coram DEO excusatos esse, si eandem foveant.

Si adversarij, agnitâ veritate, amplius aliquid sibi Concedi aut Indulgeri postulaverint, de liberabitur aliàs, an admittenda sit postulatio totumque referetur ad Sedem Apostolicam, etc. etc. etc.

F I N I S.



